

(26. Quæritur, quid juris de matrimonio inter habentes impedimentum inito sub conditione *si Papa dispensaverit*? Quidquid in contrarium dictum sit, utique tenendum cum Sanchez, Pontio, et communi aliorum, penes Reiffenst., *l. cit.*, n. 25 et seqq., tam sponsalia de futuro, quam matrimonium per verba de presenti sub dicta conditione contracta, licite fieri, et obtenta conditione, valida esse, quippe conditio, *si Papa dispensaverit*, honesta est; sub conditione honesta autem licitum est sponsalia et matrimonium contrahere.

« Quod obtenta dispensatione (sic Reiffenstue.) valeant probatur. (Enimvero) tam sponsalia, quam matrimonium, sub honesta et possibili conditione de futuro, purificata conditione, valent; atque conditio, *si Papa dispensaverit* est honesta atque possibilis: ergo, etc. » *Ibid.*, n. 26.

(27. Demum ut de matrimonio sub causa, demonstratione, modo, etc., aliqua dicamus, nempe *contraho tecum, quia es virgo*, en causa: *Quæ es honesta*; et habetur demonstratio: *ut mihi ad serviendum præsto sis*; et habetur modus: pro comperto habe « matrimonium celebratum sub causa, vel cum demonstratione, sive possibili, sive impossibili, sive turpi, sive honesta, sive substantiæ matrimonii contraria, sive non, ipsum nec suspendere, nec vitare contractum, etsi contingat error, nisi hic versetur circa personam: v. g. *contraho tecum, quia es dives, vel quia es nobilis, vel quia es virgo; vel quia es virtuosa, vel quia es hæretica, vel quia generationem prolis vitabis* (quæ sunt meræ causæ), vel quia es (illa), talis, *virgo, dives*, etc., quæ est demonstratio, valet matrimonium, etsi (illa) talis dives, aut virgo, aut nobilis, etc., non esset; Sanchez.. Palao... Pirhing... Engel cum communi aliorum. Ratio est quia causæ et demonstrationes,

(40) « Certum est quod error circa qualitatem personæ concomitans seu non dans causam contractui, non irritat matrimonium; unde si quis contraheret cum corrupta, aut paupere, aut ignobili, quam putabat virginem, aut divitem, aut nobilem, non principaliter motus ex his qualitatibus, sed aliunde, valet procul dubio matrimonium, quia tunc jam adest voluntarium ad illud requisitum. » Sanchez; Pontius, etc., et alii communiter.

« Sed magna quæstio fit, an irritet matrimonium error circa qualitatem dans causam contractui, nempe, si cognito errore, matrimonium non fuisset contractum? Prima sententia affirmat, et hanc tenet Pontius... Ratio, quia dum sponsus contrahit, credens sponsam habere aliquam qualitatem nobilitatis, aut pulchritudinis, etc., tunc præstat consensum virtualiter conditionatum, nempe si sponsa habeat illam qualitatem; qualitate igitur deficiente, deficit consensus. Secunda vero sententia, communis et verior, negat, et hanc tenent Sanchez... Abb. Mal. Lop. Laym... Concina... Nav. Ronc... Habert... Valent. Escob. Gutt. Fill. Salmat. cum Gonet, Less. Bonac. Trull. Candido. Aversa, Dic., etc., ex doctrina D. Thomæ, *Suppl.*, q. 51, art. 2, in corp., ad 5. Ratio, tum quia tunc jam adest simpliciter voluntarium circa substantiam matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quæ sunt personæ qualitates; tum quia alias innumera conjugia

etiam falsæ, non obsunt contractui, nec vitiant illum, sed habentur pro non adjectis (40). » Reiffenstuel, *loc. cit.*, § 2, n. 61.

(28. Quod ad modum attinet, hic sive possibilis, sive impossibilis, sive turpis, sive honestus, matrimonium, aliosque contractus nec suspendit, nec vitiat, sed si *modus turpis* aut impossibilis est, habetur pro non adjecto: si vero possibilis et honestus est, parit obligationem exsequendi id quod per modum oneris fuit adjectum: v. g. si quis dicat: *Contraho tecum, ut digito celum tangas; vel ut me adjuves ad illud occidendum, aut illud furandum*, etc., valet matrimonium, et modus habetur pro non adjecto, nec parit ullam obligationem illum implendi. Si quis vero dicat: *Contraho tecum, ut illos pupillos educes; ut mecum ad illum locum pergas*, etc., valet quidem statim actus, ita tamen, ut alter obligatus maneat ad modum, seu onus exsequendum; Sanchez... Pirhing... Silvester cum communi aliorum, quod hi modi non suspendunt contractum. Ratio est quia in actu sub modo, consensus non præstat a modo, sicut fit in conditione, sed illum præcedit, in quo differt conditione. Nam natura modi est, ut non suspendat actum: l. *Cum ab eo 41*, ff. *De contrah. empt.*; Reiffenstuel., *Ibid.*, n. 63.

(29. Amplius « non vitatur matrimonium, etiam sub modo substantiæ matrimonii contrario contractum. Ratio est quia, universaliter loquendo, nullus modus suspendit actum, nec consensus dependenter a modo præstat, sed jam perfectum supponit, eique advenit. at si valide jam est contractum, per talem non amplius vitari potest. » Reiffenstuel, eodem, num. 64 (41).

(30. « Utrum autem dies appositus suspendat contractum, puta si dicatur: *Duco*

evaderent dubia, et litibus exposita.

« Communiter tamen et recte docent DD. quod error circa qualitatem personæ bene irritaret matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam. Sed magna difficultas est ad dignoscendum quando error qualitatis redundet in substantiam, seu in personam? Tres attende regulas.

« Prima: tunc qualitas redundat in substantiam, cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus; hoc certum est cum Sanchez.

« Secunda regula est quando qualitas non est communis aliis, sed propria, et individualis alicui determinatæ personæ, puta si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniæ, tunc qualitas redundat in personam; unde errando in qualitate, erratur in persona, et proinde nullum est matrimonium.

« Tertia regula, quam tradit D. Thomas... est, quod si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam: v. g... si dixerit: *Volo ducere nobilem, quem puto esse Titiam*, tunc enim error redundat in substantiam, quia directe, et principaliter intenditur qualitas et minus principaliter persona. » D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1011, et seqq.

(41) Barbosa cum Novarr., Covarr. tenet, quod

te post tres dies? Negat Sanchez... Sed probabilius affirmant Viva, Con. Hurt. Perez, et Salmat. quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem. » D. de Ligorio, *Theol. moral.*, *De matrim.*, num. 896.

Atque hæc hæc tenent.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ concernunt alia septem impedimenta dirimentia.

SUMMARIUM.

1. Ordo quando sit impedimentum dirimens. —
2. Etiam Græci in majoribus constituti non possunt matrimonium nec valide, nec licite contrahere. —
3. Ordo sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, uti dirimit votum solemne professionis religiosæ. —
4. Ordo sacer dirimit matrimonium solum jure ecclesiastico. —
5. Voti solemnitas, ejusque vis dirimendi provenit solum a jure ecclesiastico. —
6. Clericus in sacris constitutus matrimonium contrahens, præter nullitatem matrimonii, incurrit ipso facto excommunicationem, et irregularitatem. —
7. Potest tamen talis clericus, dimissa uxore invalida, post longam penitentiam, et laudabilem vitam absolvi, dispensari, et suis officiis restitui ab episcopo. —
8. Ligamen quid sit. —
9. Hoc impedimentum dirimit matrimonium, nedum jure ecclesiastico, sed etiam divino. —
10. Sancti Patres Veteris Testamenti habuerunt plures uxores ex divina dispensatione. —
11. Neutri conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius. —
12. Si tamen quis sine tali morali certitudine de morte alterius conjugis transit ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contrahit, si revera, quando contraxit, prior conjux erat mortuus. —
13. Certitudo moralis quando habeatur. —
14. Qui, stante dubio de morte conjugis, matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur hunc reddere debitum, petere tamen non potest. —
15. Si tamen deponat prudenter dubium, etiam petere potest. —
16. Si vero ambo conjuges, in dubio de morte conjugis contrahunt, ambo privati existunt jure, tam petendi quam reddendi. —
17. Si post matrimonium etiam bona fide ab utroque conjugum contractum, constiterit conjugem putatum mortuum adhuc vivere, statim sunt separandi, et qui contraxerat alterum matrimonium, debet ad priorem conjugem omnino redire. —
18. Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem conjugem tempore contracti secundum matrimonium, sed modo certe constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a toro; et si velint cohabitare ut conjuges, tenentur de novo contrahere legitime. Si autem nolint de novo legitime contrahere, non possunt ad hoc cogi. —
19. Si tamen tale matrimonium secundum fuit contractum: ex judicio et assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi. —
20. Honestas publica quid sit. —
21. Impedimentum publicæ honestatis introductum est jure ecclesiastico. —
22. Jure antiquo hoc impedimentum multum extendebatur. —
23. Jure autem novo est valde restrictum, ad n. 24. —
25. Impedimentum hoc ortum ex

ne-lum conditio expressa adversus substantiam matrimonii, sed et modus illud omnino irritet et annullat. » *Collectan. DD. in tit. 5. De condit. appos.*, cap. *Si conditiones*, 7, n. 5. Ita etiam docet Sanchez, lib. v, *De matrim.*, disput. 19, n. 5, quibus astipulari videtur D. de Ligorio, eum ait:

matrimonio rato, et nondum consummato, sive valido, sive invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim, usque ad quartum gradum inclusive, et id totum exemplificatur variis casibus. — 26. Sponsalia valida, quamvis mutuo libero consensu dissolvantur, inducunt adhuc publicæ honestatis impedimentum ad n. 27. — 28. Affinitas: « Subnectuntur *Additiones Casinenses* » — 29. Impotentia quid sit. — 30. Hæc impotentia dividitur primo in naturalem, seu intrinsicam, et in accidentalem, seu extrinsecam, et quæ sit utraque. — 31. Dividitur secundo in perpetuam, et temporalem, et quæ sit utraque. — 32. Dividitur tertio in absolutam, et respectivam, et quæ sit utraque. — 33. Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, dirimit matrimonium contrahendum, tum jure ecclesiastico, tum jure naturæ. — 34. Si talis impotentia superveniat post matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit. — 35. Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium sive fuerit antecedenter cognita, sive ignorata. — 36. Affertur et solvitur instantia. — 37. Affertur ad hoc constitutio Sixti V. — 38. Post talem constitutionem, eunuchi et quicumque impotentes nequeunt contrahere matrimonium cum impedimenti seu impotentia conscis, neque ad societatem vitæ, et caste vivendum per modum fratris et sororis. — 39. Eunuchi autem et spado-nes, unico tantum testiculo carentes, valide et licite matrimonium contrahere possunt. — 40. An autem, et quomodo hermaphroditii possint valide, et licite matrimonia contrahere, *remissive*. — 41. Impotentia temporalis non dirimit matrimonium. — 42. In dubio, an impotentia sit temporalis vel perpetua conceditur a jure integrum triennium ad faciendum experimentum, si possit nec ne haberi perfecta copula. — 43. Si, tali facto experimento, ambo conjuges in foro externo fateantur adesse impotentiam perpetuam ex parte unius, non potest illorum matrimonium nec propria, nec judicis auctoritate annullari, nisi prius sit facta legitima probatio ad præscriptum sacrorum canonum. — 44. Sacri canones requirunt juramentum conjugum, et quatuordecim propinquorum. — 45. Si vero unus conjugum neget, et alter affirmet impotentiam perpetuam, tunc non requiruntur quatuordecim propinqui, sed sufficiunt, et adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis. — 46. Si elapso triennio, vir dubie impotens neget copulam perfectam habitam esse, mulier vero id affirmet, et non appareant certa signa impotentia, sed solum ambigua et dubia, debet credi uxori affirmanti et pronuntiant pro valore matrimonii. — 47. Item, si elapso triennio, mulier neget copulam perfectam habitam esse, et vir dubie impotens affirmet, si non appareant certa signa impotentia, sed solum dubia, debet credi viro affirmanti, et pronuntiant pro valore matrimonii. — 48. Si impotentia antecedens sit perpetua certo sic cognita per inspectionem corporum, vel aliunde talis impotentia sit simpliciter evidens, matrimonium debet statim declarari nullum absque concessione triennii ad faciendum experimentum, et absque interpositione juramenti propinquorum et conjugum. — 49. Si per inspectionem, vel aliam probationem non habeantur signa physice certa, et simpliciter evidentiæ de impotentia, sed solum verisimilia, et quasi moraliter certa, tunc potest quidem, et debet declarari nullum matrimonium, non expectato triennali expe-

« Probabilius contradicunt huic (opinionem, quæ stat pro validitate matrimonii contracti sub modo contra ejus substantiam), quia non videtur habere animum contrahendi, qui intentionem habet contractui (id est substantiæ contractus) oppositam. » *Theol. mor.*, *De matrim.*, n. 896.

rimento: at requiritur iuramentum conjugum et propinquorum. — 50. Si post inspectionem, aut aliam probationem non habentur nisi signa dubia de impotentia perpetua, præter dictum iuramentum conjugum et propinquorum, requiritur etiam triennale experimentum. — 51. Quando certo et evidenter constat de impotentia perpetua, dubitatur autem an præcesserit matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit; si sit impotentia naturalis, seu intrinseca, præsumitur præcessisse; si vero sit impotentia accidentalis seu extrinseca, et conjux potens solum multo, et longo tempore elapso post contractum matrimonium conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, in foro externo præsumitur eam fuisse subsecutam; si autem conjux potens brevi tempore, uno, vel altero mense post contractum matrimonium statim conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, præsumitur eam præcessisse. — 52. Dato casu, quo ob præsumptam, et allegatam perpetuam impotentiam dissolvatur matrimonium, et conjux præsumptus, et allegatus impotens contraxerit cum alia, et cum ipsa perfectam copulam habuerit, comperto errore est dissolvendum secundum matrimonium, et reintegrandum primum. — 53. Excipitur primo, quando impotens factus est postea potens per solum miraculum. — 54. Excipitur secundo, quando impotentia tollitur ope demonis, aut per media illicita. — 55. Excipitur tertio, quando impotentia perpetua est respectiva. — 56. Excipitur quarto, quando impotentia provenit ex maleficio, et cum priori conjuge factum est triennale experimentum, et adhibita sunt omnes alia probationes a jure præscriptæ. — 57. Steriles, et senes possunt valide matrimonium contrahere, dummodo natura, vel arte capaces sint ad habendam copulam perfectam. — 58. Moribundi possunt, imo quandoque tenentur contrahere. — 59. Clandestinitatis impedimentum quid sit. — 60. Ad valorem matrimonii requiritur præsentia parochi proprii. — 61. Nomine parochi proprii qui veniat. — 62. Sufficit parochus proprius alterutrius sponsi. — 63. Est validum matrimonium, etiamsi unus parochus assistat in parochia alterius, quamvis diversæ diocesis. — 64. Imo potest proprius parochus assistere matrimonio suorum parochianorum in alterius parochia, sine licentia parochi illius loci, in quo assistit. — 65. Quinimo non solum valide, sed etiam licite de jure potest proprius parochus alterutrius sponsi assistere matrimonio privatim et absque solemnitate, et benedictione publica celebrato in aliena parochia. — 66. Parochus proprius est parochus habitationis seu domicilii, aut quasi talis, nec sufficit parochus originis, nisi etiam sit habitationis. — 67. Proprius parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos. — 68. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest concedi alicui qui non sit sacerdos. — 69. An affectante parochus non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum, ad n. 80. — 81. Parochus valide assistit, etiamsi ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. — 82. Imo, etiamsi episcopus illi facultatem assistendi matrimoniis interdixerit. — 83. Parochus valide assistit matrimonio, quamvis sit putativus. — 84. Item, quamvis, habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum examinatorum synodali. — 85. Item valide assistit, quamvis sit irregularis, suspensus, interdictus, et excommunicatus vitandus. — 86. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci, ubi vagi actu versantur. — 87. Talis parochus valide assistit vagorum matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione et animo, ut liberius, et facilius in ea parochia copulentur, a proprio domi-

cilio discedant, sicut aliquam quasi fraudem, et dolum committant, dummodo vere, et non ficto animo illud deserant, et ad illud brevi redire revera non intendant; et afferuntur ad rem plures exemplares declarationes sacræ congregationis Concilii. — 88. Parochi, quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero, et habilitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi præmissa diligenti inquisitione, et obtenta ordinarii licentia. — 89. Parochi quoad hoc transgressores graviter peccant, et possunt graviter ab ordinariis puniri. — 90. Matrimonium contractum ab eo qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem, coram parochus carcerem nullum est. Si vero contraheretur ab eo qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuam, vel ad tempus, tunc esset validum. — 91. Matrimonium contractum coram capellano hospitalis nullum est. — 92. Matrimonia puellarum expositarum degentium in conservatoriis et hospitalibus non possunt contrahi coram rectoribus seu capellanis eorundem locorum, sed coram proprio parochus in cujus parochia sita sunt prædicta loca. — 93. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus, et parochus ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus. — 94. Matrimonia contracta coram capellanis exercitus a militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione, etiam cum militaribus feminis, sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, sunt nulla. Alia circa ista, remissive. — 95. Principes et nobiles non possunt valide contrahere matrimonium in omnibus sibi subditis locis, sed solum in loco ubi habent veram habitationem, et coram parochus palatii in quo ordinarie resident. — 96. Si autem tales principes, seu nobiles, marthiones, comites, etc., duo loca seu duas parochias æqualiter, aut fere æqualiter inhabitent, possunt indifferenter coram alterutro parochus contrahere matrimonium. — 97. Secus vero si non æqualiter habitent utrobique, etc. * Subnect. *Addit. Casu*, ubi plura de domicilio. — 98. Ad valorem matrimonii, ultra presentiam parochi, aut delegati ab eo, vel ab ordinario, requiruntur, et sufficiunt duo testes. — 99. Ad valorem matrimonii sufficiunt quicumque testes rationis capaces. — 100. Ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia physica, vel corporea parochi, et testium, sed requiritur eorum præsentia moralis, rationalis et humana. — 101. Præsentia parochi, et testium ad valorem matrimonii debet esse simultanea, et non sufficit successiva. — 102. Præsentia parochi, et testium sufficit ad valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati dolose, et fraudulenter illic adducti, invitati et coacti, etiam cum protestatione, et contradictione ibidem existant, dummodo ad illum actum adhibeantur, et intelligant contrahentium consensum. — 103. Præsentia parochi, et testium an sufficiat ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum, quæ agebantur, viderint, et intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures, ne audirent? — 104. Præsentia parochi, et testium sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi fuerit accidentalitatis, seu casualis, et non requisita. — 105. Alii tamen tenent contrarium. Istæ tamen opiniones, sicuti et sacræ congr. declarationes conciliantur. — 106. Præsentia parochi, et testium non requiritur in locis, ubi concilium Tridentinum non est promulgatum. — 107. Matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab incolis loci, seu provincie, ubi fuit promulgatum sed non receptum Tridentinum quoad disposita de matrimonio clandestino, est validum. — 108. Item validum est matrimonium contractum sine præsentia parochi,

et testium ab eo, qui e loco promulgati et recepti concilii pergit ad locum ubi promulgatum, aut receptum non est, et ibi cum incola illius loci contrahit, secus vero e contra. — 109. Si ambo sponsi e loco publicati et recepti concilii transferant realiter suam habitationem ad locum ubi non est publicatum; quamvis eo solo animo, ut absque parochus et testibus contrahant, validum est eorum matrimonium. Secus vero si illuc se transferant eum tali fine, et habitationem realiter non mutent, seu retento suo domicilio in loco publicati concilii, transeat per locum ubi non est publicatum, et ibi contrahant. — 110. Valida sunt matrimonia, quæ catholici v. g. mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia parochi et testium in locis infidelibus, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum Tridentinum. — 111. In locis autem hæreticis promulgati concilii Tridentini, si parochus, aut episcopus, vel aliud sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur nihilominus duo testes. — 112. Hæretici quoque in locis ubi publicatum est Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis. — 113. Sunt tamen valida matrimonia hæreticorum contracta sine præsentia parochi et testium in locis ubi non fuit publicatum Tridentinum, et sine præsentia parochi in illis locis in quibus, quamvis sit publicatum, parochus, tamen, aut episcopus, catholicus, etc., non invenitur, nec potest tutus ad eum haberi accessus, dummodo in locis publicati concilii adhibeantur duo testes: * alia de paroch. ibi. — 114. Raptus impedimentum est statum a Tridentino. — 115. Raptus dirimens quid sit. — 116. Violentia inducens raptum est non solum physica, sed etiam moralis. — 117. Ad hoc, ut inducat impedimentum dirimens, debet talis violentia probabilis esse illata ipsi feminae rapte, nec sufficit si sit illata solis parentibus, aut tutoribus. — 118. Alii tamen sentiunt contrarium. — 119. Si puella consentiens et volens abducatur in seipsum parentibus et tutoribus, ita ut neque puella ipsi, neque parentibus, aut tutoribus vis inferatur, licet iis adhuc injuria fiat, non est raptus dirimens. — 120. Nec etiam est raptus dirimens, quando post tractatum de matrimonio legitime contrahendo, vel post sponsalia jam contracta, abducitur puella consentiens de domo patris, seu tutoris, quamvis invitati, et reclamantis. — 121. Quando puella quæ raptur erat prius raptori desponsata, licet ipsa, proposito mutato, sit invitata, si nullam habet justam causam reficiendi, non est raptus dirimens, bene vero, si habet justam causam resiliendi. — 122. Raptus factus, non causa matrimonii, sed libidinis explendæ, non dirimit matrimonium. — 123. Raptus dirimit matrimonium, etiamsi femina rapta non sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, vel etiam meretrix. — 124. Raptus, quo femina rapit virum, non dirimit matrimonium. — 125. Raptus non dirimit matrimonium si solum importunis precibus femina abducatur, dummodo preces tales non sint, ut violentiæ æquiparentur. — 126. Raptus, ut sit impedimentum, requiritur traductio feminae de loco ad locum. — 127. Impedimentum raptus inter raptorem et raptam perseverat, etiamsi rapta post raptum libere consentiat, si adhuc ipsa in potestate raptoris manserit; secus vero si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit. — 128. Raptores et fautores raptus dirimentis matrimonium, sunt ipso jure excommunicati, et sunt perpetuo infames, et incapaces omnium dignitatum; et si clerici sint, amittunt gradum clericalem, et raptor sive matrimonium contrahat eum rapta, sive non, tenetur eam decenter dotare arbitrio judicis. — 129. Raptores eorumque auxiliatores, si fuerint laici, morte peccantur, et si fuerint clerici, suspenduntur ab eo-

rum officiis, ad n. 132. — 133. Alia ad rem. ad n. 136. — 137. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu, ad n. 152.*

(1. Ordo, quantum ad præsens, est impedimentum, quo clerici in sacris ordinibus constituti, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum matrimonium, ut patet ex cap. *De diacono* 1, cap. *Ex litterarum* 2, *Qui clerici, vel voventes*, cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugatis, et concordant, cap. *Presbyter* 8, distinct. 27, cap. *Presbyter* 16, dist. 28, cum similibus, et expresse delinovit concil. Trident., sess. xxiv, *De matrimon.*, canon. 9, ibi: « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit. »

(2. Etiam Græci in majoribus constituti, non possunt matrimonium, nec valide, nec licite contrahere, quamvis post contractum matrimonium possint suscipere sacros ordines, et in his constituti cum uxore, quam prius duxerant, conjugaliter vivere: Azorius, part. 1, lib. xiii, cap. 12, quæst. 5; Sanchez, lib. vii, disput. 28, num. 3; Reiffenstuel, lib. iv *Decret.*, tit. 6, num. 4, et alii passim, id ostendentes ex eoipso Græcorum usu ac moribus; argum. cap. *Cum olim*, De clericis conjugatis, cap. *Si quis eorum*, dist. 32, et similibus.

(3. Ordo sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, ut dirimit votum solemnè professionis religiosæ per jura adducta artic. anteced., sub n. 25 et 26. (4. Ordo sacer dirimit matrimonium solum jure ecclesiastico, S. Thomas 2-2, quæst. 88, art. 11; Scotus in 4, dist. 37, quæst. unic.; Piringh, lib. iv, tit. 7, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 15 et 17; et communis aliorum, et colligitur ex conc. Trid., sess. xxiv *De sacramento matrim.*, canon. 9 (textum vide supra n. 1) ubi impedimentum hoc dirimens expresse ascribitur *Legi ecclesiasticæ et voto*, non quidem simplici cum istud non dirimat; argum. cap. *Consuluit* 4, et cap. *Rursus* 6, *Qui clerici, vel voventes*, sed solemnè. (5. Voti autem solemnitas. ejusque vis dirimendi provenit solum a jure ecclesiastico; Cap. unico *De voto* in 6, ibi: « Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, » et idem declaravit Greg. XIII const. inc. *Ascendente*. Sic etiam votum simplex societatis Jesu solum cepit esse dirimens per dictam constitutionem Greg. XIII, *Ascendente*, ante quam non dirimebat.

(6. Clericus in sacris ordinibus constitutus matrimonium contrahens, præter nullitatem matrimonii, incurrit ipso facto excommunicationem et irregularitatem; cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugatis, et Clementin. unic. *De consanguinit. affinitat.*, ibi: « Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes... excommunicationis sententiæ ipso facto sub-

jacere decernimus. » Insuper concilium Neocæsariense in cap. *Presbyter*, 9, dist. 28, ab ordine illum deponi jubet, ibi : « Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere, etc. » Quod *Glossa* explicat de dispositione officii, ut observat etiam Pignatelli, t. VIII, consult. 63, num. 30, sicuti ipse, nedum officio, sed et quolibet beneficio ecclesiastico privari debet; cap. *Decernimus* 2, dist. 28, ibi : « Decernimus ut hi qui in ordine subdiaconatus, et supra, uxores duxerint... officio atque beneficio ecclesiastico careant; » et concordant cap. *Si qui clericorum* 1, cap. *Quod a te*, De clericis conjugatis, cum similibus. (7. Potest tamen talis clericus, dimissa uxore invalida, post longam penitentiam, et laudabilem vitam absolvi, dispensari, et suis officiis restitui ab episcopo; cit. *Clementin. unic., De consanguinit. et affinitat.* et cap. *Si qui cleric.* 1, et cap. *Sane sacerdos* 4, De clericis conjugatis, ibi : « Post longam penitentiam et vitam laudabilem, continentes officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui episcopi ejus executionem habere. »

(8. *Ligamen* est vinculum conjugum ortum ex matrimonio rato, vel consummato, utroque conjugate vivente. Est in re communis, arg. cap. *Gaudemus* 8, De divortiiis, cum similibus. (9. Hoc impedimentum dirimit matrimonium, nedum jure ecclesiastico, sed etiam jure divino. *Communis*, ex cap. *Gaudemus* 8, De divortiiis, et conc. Trident., sess. xxiv, De sacramento matrimonii, canon. 2, ubi expresse sic definit : « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. » Et merito concilium sic definit : habetur enim hoc ex *Matthæi* xix, *Marci* x, et *Luc.* xvi. (10. Unde SS. Patres, qui in Veteri Testamento plures uxores habuerunt, ex divina revelatione atque dispensatione eas duxerunt, et retinuerunt, propter necessitatem multiplicandi fideles, ut respondent communiter doctores; arg. cit. cap. *Gaudemus* 8, De divortiiis.

(11. Neutri conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius, textu expresso in c. *In presentia* 19, De sponsalibus, et cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (12. Si tamen quis sine tali morali certitudine de morte alterius conjugis transit ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contraxit, si revera quando contraxit, prior conjugatus erat mortuus, quia protunc non erat ligamen; argum. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (13. Certitudo autem moralis habetur, quando adest attestatio legitima parochi, vel alia publica et authentica facta a magistratu ecclesiastico, politico, aut militari, vel a notario publico, aut alia persona in publica auctoritate constituta, aut duorum testium de visu; sed quoad hoc est omnino servanda instructio emanata a sacra congregatione supremæ universalis Inquisitionis, quæ asservatur in cancellariis episcopalis, et adducitur a Monacelli, t. III, in

Append. ad formular., instruct. 6, ubi adducit etiam dubia aliquot circa exterorum matrimonia cum respons. sac. congreg. *Vide* ante v. *INSTRUCTIO*, etc.

(14. Qui stante lubio de morte conjugis, matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (15. Si autem deponat prudenter dubium, etiam petere potest. *Communis*, arg. cit. cap. *Dominus*, et cap. *Inquisitionis* 34, De sententia excommunicat. (16. Si vero ambo conjuges in lubio de morte conjugis contrahunt, ambo privati existunt jure tam petendi quam reddendi, donec prudenter tale dubium deponant; *Communis*, et cit. cap. *Dominus*, et cit. cap. *Inquisitioni*.

(17. Si post matrimonium etiam bona fide ab utroque conjugate contractum, constiterit conjugem putatum mortuum adhuc vivere, statim sunt separandi, et qui contraxerat alterum matrimonium, debet ad priorem conjugem omnino redire. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis, et cit. cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommunicat. (18. Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem conjugem tempore contracti secundi matrimonii, sed modo certo constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a toro, quia tale secundum matrimonium fuit invalidum; arg. cit. cap. *Dominus*, et regul. 18 *Juris*, in 6, ubi sic expresse statuit : « Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. » Et si velint cohabitare ut conjuges, tenentur de novo legitime contrahere. Si autem nolint de novo contrahere, non possunt ad hoc cogi, cum nullo jure ad hoc astringantur, quamvis maxime expediat ad multas trias evitandas. (19. Si tamen tale matrimonium secundum fuit contractum ex iudicio et assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi, et admittendi sunt ad hæreditatem. *Communis*, textu expresso in cap. *Perlatum* est 8, Qui filii sint legitimi.

(20. *Honestas* publica est propinquitas jure ecclesiastico oriens ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato. Est in re communis, arg. cap. *Juvenis* 3, capit. *Ad audientiam* 5, cap. *Sponsam* 8, De sponsalibus et matrimoniis, cap. *unic.* De sponsalibus in 6, cap. *Si quis desponsaverit* 11, et cap. *Si quis uxorem* 34, caus. 27, q. 2, cum similibus. (21. Impedimentum publicæ honestatis introductum est jure ecclesiastico. *Communis* ex mox citatis juribus. (22. Jure antiquo hoc impedimentum dirimebat inter sponsum, et consanguineos sponsæ, et e converso, usque ad quartum gradum; arg. cap. *Sponsam* 8, De sponsalibus. Et oriebatur ex quibusvis sponsalibus de futuro, et presenti, etiamsi fuissent invalida, dummodo non essent invalida ex defectu consensus, textu expresso in cap. *unic.* De sponsalibus in 6. (23. Hodie tamen rigor dicti juris antiqui non amplius viget, cum correctus, et temperatus sit a concil. Trid., sess. xxiv, De reformat. ma-

trim., c. 3, his verbis : « Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione invalida erunt, sancta synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. » Ubi, ut vides, declaratur quod impedimentum publicæ honestatis non amplius oriatur ex sponsalibus invalidis. (24. Et quod ortum ex sponsalibus validis, dirimit inter sponsum et consanguineos sponsæ, et e converso, solum usque ad primum.

(25. Impedimentum autem hoc ortum ex matrimonio rato et nondum consummato, sive valido, sive invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim usque ad quartum gradum inclusive: quia Tridentinum circa hoc nihil immutavit, ut expresse declaravit S. Pius V, constituit. incip. *Ad Romanum*, ibi : « Motu proprio, auctoritate apostolica, tenore præsentium, declaramus et definimus, decretum concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere de sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sicut præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illius gradibus et casibus in quibus de jure veteri ante prædictum decretum concilii introductum erat, et ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus. » Unde, ut vides, si matrimonium tuum fuit invalidum, ex quocunque alio impedimento quam ex defectu consensus, v. g. ex impedimento voti, sacri ordinis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, criminis et hujusmodi, contraxisti hoc impedimentum cum consanguineis uxoris tuæ putativæ, et illa vicissim cum consanguineis tuis usque ad quartum gradum inclusive, quia ex cap. *unic.* De sponsalibus, in 6, non correcto per Tridentinum, hoc impedimentum oriebatur etiam ex sponsalibus de presenti invalidis, seu ex matrimonio rato etiam invalido; dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, quia invaliditate interveniente, puta defectu consensus, ut si contraxisti cum errore personæ, cum ignorantia qualitatis servilis, et ex metu gravi injuste inessus, et hujusmodi, non contraxisti hoc impedimentum cum matrimonio invalidum defectu consensus non pariat publicam honestatem, ut expresse habetur in d. cap. *unic.* De sponsalibus, in 6, non correcto a Tridentino, et consequenter remanent in suo robore per allatam declarationem S. Pii V. Totum exemplificatur variis casibus.

I si Paulus v. g. contraxerit cum Francisca sponsalia de presenti, seu matrimonium ratum invalidum, non ex defectu consensus, sed ex alio defectu, seu quocunque alio impedimento, puta voti, sacri ordinis, consanguinitatis, affinitatis, criminis et hujusmodi, non poterit ipse Paulus contrahere cum ulla Francisca consanguinea, usque ad quartum gradum inclusive; arg. c. *Spon-*

sum 8, De sponsalibus, ubi universaliter ita disponitur : « Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare; » intellige, juxta praxim et communem intelligentiam, de consanguineis usque ad quartum gradum instar affinitatis; arg. cap. *Non debet* 8, § *Prohibitio*, De consanguinit. et affinit., quæ et alia antiqua jura circa id non fuerunt correctæ per Tridentinum, sed relicta adhuc in suo robore, juxta cit. S. Pii V declarationem; concilium enim Tridentinum novum jus induxit solum quoad sponsalia de futuro, decernendo, quod si ipsa fuerint invalida, nullum pariant impedimentum publicæ honestatis; et si fuerint valida, pariant dictum impedimentum solum usque ad primum gradum, ut patet ex ipsiusmet verbis supra allatis. Si vero tale ratum matrimonium fuisset invalidum ex defectu consensus, puta ob errorem in personam, aut per vim et gravem metum et hujusmodi, poterit adhuc libere contrahere cum Francisca matre, vel filia, aut sorore, quia ex matrimonio rato invalido defectu consensus non oritur impedimentum publicæ honestatis, ut expresse cavetur in cap. *Ex sponsalibus*, *unic.* De sponsalibus, in 6, non correcto per Tridentinum, sed adhuc remanent in pleno suo robore per cit. constitutionem S. Pii V. Excipitur tamen matrimonium ratum impuberum, quia licet defectu perfecti consensus sit invalidum in ratione matrimonii, est tamen validum in ratione sponsalium, seu, ex speciali juris dispositione, adhuc retinet vim sponsalium, textu expresso in cap. *Tua* 14, De desponsatione impuberum, et cap. *unic.* § *Idem quoque*, eod. in 6. Unde tales impuberes adhuc contrahunt impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus usque ad primum gradum tantum; et tandem matrimonio post pubertatem adeptam ratificato, etiam impedimentum usque ad quartum gradum ex matrimonio rato.

II. Si Paulus contraxit sponsalia pura et absoluta cum Francisca, et postea, contra fidem priorum sponsalium, contrahat matrimonium ratum cum ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ipsius Francisca matre, vel filia, aut sorore, tale matrimonium erit nullum ob impedimentum dirimens publicæ honestatis; at nihilominus poterit adhuc, et debet ducere priorem sponsam de futuro, non obstantibus secundis sponsalibus de presenti, seu matrimonio rato cum ejus consanguinea, si nulla, ut supponit casus, intercesserit copula; id enim habetur non solum ex jure novo concil. Trident. *Idcirco superius citato*, quia matrimonium ratum, seu secunda sponsalia de presenti sunt invalida; sed ex jure antiquo cap. *Ex sponsalibus*, *unic.* De sponsalibus, in 6, quia non debet admitti inter ipsa veluti quædam reciproca actio, qua priora sponsalia vicissim a posterioribus irritentur, contra expressam prohibitionem d. cap. *Ex sponsalibus*; sic Layman, lib. v, tract. 10., p. iv, c. 9, num. 3 et 5; Sporer, tom. III, p. iv, c. 1, num. 58; Gobat, to. I, tract. 9, num. 383;